DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
CANINA APPETENTIA.

Quam

PRÆSIDE
DEO OPTIMO MAXIMO,
Conſenſu atq; authoritate,
AMPLISSIMI MEDICORUM
IN CELEBERRIMA ARGENTO-
TORATENSIUM ACADEMIA
COLLEGII,

Pro
Summis in Arte Medica Honoribus atque
Privilegijs Doctoralibus impetrandis
Publice & ſolenniter examinandam
proponit

JOHANNES Frey / SEBUSIENSIS.

Die 7. Mens. Sept.

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLVIII.

VIRIS

NOBILITATE, AMPLITUDINE,
CONSILIO, PRUDENTIA, ALIARUMQUE
rerum uſu maxime conſpicuis,

DN. JOHANNI MICHAELI Heintz/ J. U. Doctori Celeberrimo, Diverſorum S. R. Imperij Principum Conſiliario Intimo,

DN. JOHANNI PETRO Schreckenbergern/ Scholæ, quæ apud Sebuſienſes eſt, Moderatori digniſſimo,

Dnn. Tutoribus ac Promotoribus æternùm Colendis, Venerandis

Suum hunc in Academiâ ultimum laborem

In grati animi ulteriorisq́; recommendationis ac favoris notam

D. D. D.

AUTHOR.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

CUM BONO DEO.

THESIS I.

SI rem rectâ ratione penſitare voluerimus, maximam Medici curæ partem in eo collocatam eſſe deprehendemus, ut organa nutritioni dicata, (utpote à quibus ſi non omnes, plurimi tamen affectus reliquo corpori communicantur) in naturali eorum conſtitutione, legitimâ ſc. temperie, rectâ conformatione, debito numero, juſtâ magnitudine, convenienti ſitu ac connexione, eâque, quâ requiritur, unitate conſervet; cum enim ex iis totum corpus nutrimentum recipiat, malè illorum uno affecto, etiam facile totum corpus in conſenſum trahi lædique poteſt.

II.

Motus hoc, placuit ex ventriculi affectibus (eſt enim ille primæ coctionis officina, poſtque hepar præcipuum nutritionis organum) unum, quem loco diſputationis inauguralis pertractarem, eligere; Ex multis arriſit materia de Caninâ appetentiâ, ſymptomate nec infrequenti, nec periculo vacante, cujus primò etymologiam & definitionem, poſt ſedem affectam, ſpeciem affectûs, cauſas, ſigna, denique aliqualem curandi in ſequentibus declarabo methodum.

III.

Nominis rationem ſi conſideres, Græcis dicitur φάγενα καὶ φαγέδαινα à vorando, κυνώδης ὄρεξις, Latinis canina appetentia, nomine inde accepto, quod hoc affectu laborantes, canum inſtar cibum, quem ad ingluviem devorant, per ſuperiora & inferiora rejiciant, incoctumque excernant.

IV.

Definitur, quod ſit vehemens & inſatiabilis vorandi cupiditas, à ſuctione in ore ventriculi exorta, aliquando cum vomitu, aliquando cum diarrhœâ affligens.

V.

Differt itaque κυνορεξία tùm à bulimo, tùm à voracitate illâ nimiâ,

cujus exempla paſſim apud auctores, præſertim apud *Lipſ. cent. 3. miſcel. epiſt.* 51. reperire licet; hæc ſiquidem non eſt continua, cibus non ſtatim copiosè excernitur, ſed concoquitur, ſine ullo detrimento, hinc nonnullis naturalis dicitur; in bulimo lypothymia & nauſea adeſt, ſine vomitu aut diarrhœâ, appetitus inſuper periodicus eſt, quorum omnium nihil in κυνορεξίᾳ oboriri, ipſa definitio palam facit.

VI.

Speciem affectus declarat genus in definitione poſitum, eſſe nimirum ſymptoma læſarum functionum, partìm naturalium, partìm animalium.

VII.

Sedes primariò affecta eſt orificium ventriculi ſuperius, ſive ſiniſtrum, nonnullis cor (quod eo affecto ſymptomata cardiacis ſimilia eveniant) dictum. Secundariò autem etiam totus ventriculus, cumq; eo plures adhuc partes lædi, inque conſenſum trahi poſſunt; cum enim vitia primæ coctionis non corrigantur in ſecundâ, ea ad alias partes delata, noxam facillimè parere poſſunt.

VIII.

Cognitâ eſſentiâ, loco & ſpecie affectus, conſequens eſt, ut de cauſis agam, ſunt illæ vel externæ vel internæ.

IX.

Externæ rurſus geminæ ſunt, vel neceſſariò, vel non neceſſariò nobis obvenientes.

X.

Internæ itidem duplices, Antecedentes & Proximæ.

XI.

Ad externas neceſſariò nobis occurrentes refero ſex res non naturales: Aërem nimirum, Cibum & potum, motum & quietem, ſomnum & vigilias, excreta & retenta, animi denique pathemata. Hæ res omnes, inopportunè & minùs rectè ſi adhibentur, ad præſentis affectus generationem facere poſſunt.

XII.

Aër cauſa fieri poteſt, dum ejus conſtitutio frigida eſt, qualis aquilonaris exiſtit, vel etiam dum in caliditate & ſiccitate excedit. Prior intemperies ad humoris acidi & melancholici productionem, poſterior ad alimenti corruptionem efficax eſt.

XIII.

Cibus & potus cauſa fit, dum peccat quantitate, qualitate & tempore.

14. Quan-

XIV.

Quantitate, cum vel nimius ingeritur, unde ventriculi debilitas, cruditates, intemperies; vel juſto parcior adhibetur, unde alimenti penuria.

XV.

Qualitate, dum frigidus eſt & ſiccus, craſſus, terreus, difficilisq; concoctionis, cumque parùm boni ſucci habet, ſive à plantis petatur, ſive ab animalibus; exempla videantur in *tract. Clariſs. D. D. Sebizÿ de alimentor. facult.*

XVI.

Tempore; cum inconveniente horâ adhibetur, priore nondum concocto, ita enim naturalem ventriculi temperiem lædit, & ad præter naturalis humoris generationem anſam præbet.

XVII.

Motus denique & quies, excreta & retenta; ſomnus & vigiliæ, animique affectiones & pathemata cauſæ fiunt, cum vel excedunt, vel deficiunt, vel alio quocunque modo, ad acidi humoris generationem, vel alimenti abſumtionem faciunt.

XVIII.

Sub non neceſſariò alterantibus, comprehendo medicamenta, balnea, corpus rarefacientia & exiccantia; peregrinationes item & itinera in altâ nive, & ſimilia, quorum cum certus numerus non ſit, nec eventus, ulterius de iis hîc agere ſuperſedeo meque ad internarum cauſarum indagationem converto.

XIX.

Interna antecedens eſt humor acidus, (qualis eſt melancholia aut pituita acida) in corpore contentus, qui dum ad ventriculi orificium ſuperius defertur, illudque mordicat, cauſæ continentis etiam conjunctæve nomen meretur.

XX.

Stabilitur hæc cauſarum enumeratio auctoritate Galeni, ita enim *l.1. de ſympt. cauſ. c.* 7. ait, vitioſæ appetentiæ, quæ à quibuſdam caninæ nominantur, tùm exiſtunt, cum vel acidus quiſpiam vitioſus ſuccus ventriculum mordet, vel totum corpus immodicè digeſtum inops alimenti redditur. Itaque una caninæ appetentiæ cauſa eſt vitioſus is ſuccus, qui acidus eſt; altera amplior per totum corpus vacuatio, quæ vel caloris robore, vel retentricis facultatis imbecillitate ſit illata.

XXI.

Subjungam his opinionem Plateri. Statuit ille, impoſſibile eſſe, ut ex ſolo humore acido hoc ſymptoma ortum ducat; ob id ad abſtruſas, venenatas & malignas qualitates confugit: Verum enimverò cum experientia comprobet, ex uſu acidorum v. g. Spiritus vitrioli, ſucci malorum citriorum, & ſimilium, appetitum moveri & augeri; ſtatim ac in ventriculi os incidant, eumque nos, ubi perierit, acidis fructibus reparemus, non habemus, cur à Galeni mente recedamus, & ad venenatam (præſertim cum nulla adſint veneni indicia) qualitatem tranſeamus.

XXII.

Tranſeo ad ſigna, quæ vel Diagnoſtica, vel Prognoſtica.

XXIII.

Diagnoſtica comprehendunt *παθογνωμονικὰ*, *αἰτιογνωμονικὰ* & Diſtinctiva.

XXIV.

Παθογνωμονικὰ propria & inſeparabilia hujus affectus ſunt. 1. aſſidua & ferè inexplebilis atque inordinata cibi appetentia, ob continuum ſtimulum, ventriculi orificio jamjam impactum. 2. aſſumtorum ſtatim, vel per vomitum, vel per alvum rejectio, cum enim cibum aſſumtum citra nocumentum ferre nequeant, ad vomitum divertunt. *Aëtius tetr. III. ſerm. I. c. 12.*

XXV.

Αἰτιογνωμονικὰ ſecundum *Gal. l. de comp. medic. κατ. τόπ.* 10. è quatuor fontibus petuntur, rebus ſc. naturalibus, non naturalibus, præter naturalibus, & juvantibus atque lædentibus.

XXVI.

Ita pituitæ acidæ ſigna ſunt conſtitutio corporis frigidior & humidior, qualis eſt mulierum & eorum, qui vel naturâ, vel ex uſu largiore refrigerantium & humectantium ſimilis temperiei ventriculum habent vel hepar. Prægreſſa eſt diæta, ad generationem hujus humoris apta; Pituita cum cibis inconcoctis per ſuperiora rejicitur; ructus adſunt acidi, frequentes ſunt morbi frigidi; Læſio à refrigerantibus & humectantibus, levamentum à calidis & ſiccis percipitur.

XXVII.

Melancholiam in cauſâ eſſe arguunt temperatura frigidior & ſiccior, ætas ingraveſcens; Præceſſit error in diætâ commiſſus, ſupraq; explicatus, prægreſſæ item ſunt obſtructiones lienis, vel ſuppreſſiones

conſue-

conſuetæ alicujus melancholiæ evacuationis, præter ructus acidos melancholia cum alimentis excernitur, flatusque in corpore ſunt multi, *εὐφορίαν* à calidis & humidis, *δυσφορίαν* à frigidis & ſiccis æger habet.

XXVIII.

Ubi verò à diſſipatione alimenti malum ortum habet, cognoſcemus illud ex caloris fortitudine, qui inſtar ignis cibos conſumit, & cutem rarefacit. Hinc ventris egeſtiones pauciores procedunt, verùm ſicciores, teſte *Aëtio tetrab. 3. Sermon. 1. c. 22.*

XXIX.

Diſtinctiva cum ſuperius Th. 5. declarata ſint, hîc prætereo, ſequuntur itaque prognoſtica.

XXX.

Petuntur illa vel ab affectu, vel ægrotantis naturâ & viribus.

XXXI.

Ab affectu hæc ſunt: Qui canino appetitu laborant, ii ex hoc aliquando ad vomendi conſuetudinem delabuntur; ſæpe etiam aliis affectibus obnoxii ſunt, cæliacis ſc. & dyſentericis, atque aquæ inter cutem; propterea quod priusquam priores cibi ſint concocti, alios ingerant. *Aëtius tetr. 3. ſerm. 1. c. 21.*

Canina appetentia ſi diu duret, aliquando aut in bulimum, aut coma, ob ſublatos in cerebrum vapores tranſit, ſyncopemque & inopinatam mortem tandem accerſit. *Paulus l. 2. c. 51.*

Appetentia recens & ab immodicâ reſolutione nata, præſidiis adhibitis brevi profligatur. *Bertinus l. 15. de ſign. progn. c. 51.*

Fames magna, quæ fit poſt febres, & alios morbos, recidivam minatur. *Senn. l. 3. prax. part. 1, ſect. 2. c. 4.*

Canina appetentia, quæ ex immodicâ diſſipatione ortum ducit, ſi priusquam ad ſummum pervenerit, cognoveris, non difficulter curabitur. *Gal. 5. de loc. aff. Foreſt. l. 18. obſer. 5.*

XXXII.

A naturâ ægrotantis, ejusque actionibus & viribus prognoſtica hæc ſunt; In quovis morbo valere rationem, recteque ſe ad ea, quæ ſumuntur, habere, bonum; contra verò ſe habere, malum. 2. *aph.* 33.

Minus periculosè ægrotant ii, quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quàm quibus nulli horum affinis cognatusque exiſtit. 2. *aph.* 34.

Minus periculoſa canina appetentia eſt, ubi ægrotantis vires adhuc ſteterint. Mala verò, quam ingens virium comitatur diſſipatio. Hæc de prognoſticis.

33. Se-

XXXIII.

Sequitur ultima hujus diſputationis pars, ipſa methodus medendi, quam inveſtigabimus à morbo ejusque cauſa; Præſens ſiquidem affectus, cum nullum ſymptoma qua ſymptoma (*ſec. Gal. l.* 12. *m. m. c.* 1.) curationis rationem habeat, inter indicantia proprie ſic dicta referri non poteſt.

XXXIV.

Pro variis vero cauſarum inſidiis diverſis præſidiorum generibus occurrendum.

XXXV.

Si à pituita malum oriatur, calefacientia, exſiccantia, attenuantia, incidentia, detergentia, & evacuantia requiruntur, petita tum à Diæta, tum à Pharmacia.

XXXVI.

Diæta res non naturales comprehendit.

XXXVII.

Aër itaque eligatur, qui calidus ſit & ſiccus; ſi per ſe talis non ſit, arte paretur, per ignem, ſuffimigia ex ligno juniperino, roſmarino, & fumo ex baccis lauri, thure, ſuccino & ſimilibus.

XXXVIII.

Cibus in quantitate ſit modicus; in qualitate calefaciens, exſiccans, & ventriculum roborans, ἔυχυμος καὶ ἔυπεπτος; nec inutile erit cibum condiri aniſo, petroſelino, origano, roſmarino, thymo, pulegio, ſatureia & quæ his ſimilia exiſtunt; Adhibeatur autem convenienti tempore, priore nimirum concocto, ne fomes ulteriori generationi humoris à nobis addatur.

XXXIX.

Potus ſit vinum, in quantitate mediocri; in qualitate ex eorum numero, quæ impenſe calefaciunt, cujusmodi habentur fulva & rubra, citra tamen adſtrictionem, juxta *Paulum Æginet. l.* 2. *c.* 52. Eſt enim iis ut magnum remedium: teſt. *Oribas l.* 9. *ſynops. c.* 10. *l. de curat. loc. aff.* 4. *c.* 83. Hinc famem ſolvere theorexin *Hipp.* 2. *aph.* 21. affirmat.

XL.

Motus & quies, ſomnus & vigiliæ modum non excedant. Hoc enim ſi fiat malum. 2. *Aph.* 3. Alvus laxa ſervetur, adſtricta aperiatur. Animi pathemata quantum fieri poterit vitentur.

41. Phar-

XLI.

Pharmacia præparantia, evacuantia & corroborantia ſubminiſtrabit.

XLII.

Præparantia calida ſint & ſicca. Ex ſimplicibus habemus mentham, abſinthium, fœniculum, roſmarinum, ſalviam, folia lauri, ſemina aniſi, carvi, cumini, Aromata, nucem moſchatam, caryophyllos, Zingiber, calamum aromaticum, & his cognata.

XLIII.

Ex compoſitis proſtant: Syrupus de mentha, de abſynthio, de calamintha, de 2. & 5. radicibus, de hyſſopo, de carduobenedicto, de cinamomo, mel menthæ, oxymel s. & compos. rob Juniperinum &c.

XLIV.

Evacuantia vel vomitoria ſunt, vel per alvum purgantia, cum humor præparatus erit.

XLV.

Vomitoriorum loco erunt, aqua tepida cum oleo communi, vel alia pinguedine, agaricus tritus in oxymelite, aut mulſa cum decocto ſeminum anethi, atriplicis & ſimilium: Succus Raphani, Electuarium diacatholicum & lenitivum, Hiera logadij, pilulæ aggregativæ.

XLVI.

Purgantium vices ſubeunt, Myrobalani chebulæ, Emblicæ, Agaricus, Mechoacanna, Turbith, ſemina carthami, & ex his parata compoſita; v. g. Syrupus de agarico, de carthamo, Pilulæ alephanginæ, ſtomachicæ, de hiera cum agarico, de aloe lota, Imperiales. Benedicta laxativa, diacarthamum, diaturbith, diacolocynthis & ejusmodi quam plurima alia, ex quibus pro varia Medici intentione, variæ medicamentorum concinnari poſſunt formulæ.

XLVII.

Imprimis præ aliis Hiera picra à *Galeno l. 8. de comp. med. κατ. τοπ.* commendatur: Utile eſt hoc medicamentum, inquit, iis qui appetitum caninum habent, & plurima edunt, & maxime gravati paulo poſt revomunt. Rationem ſubminiſtrat *Aëtius tetr. 3. ſerm. 1. c. 21.* verba ejus hæc ſunt: Picrum appellatum Pharmacum convenienter exhibebimus, quod non tantum calefacere poteſt, ſed & diſſecare ac repurgare, extrahereque ex profundo oris ventris imbibitum humorem, & per alvum inferne evacuare, quin & robur ventri addit, ne facile nocivum humorem ſuſceptet.

XLVIII.

Evacuato ita humore, corroborantia ventriculum adhibeantur. Sunt illa vel ſimplicia vel compoſita, utraque rurſus vel externa vel interna.

XLIX.

Simplicia Externa, quæ & Topica dicuntur, exterioriſque corporis regioni circa ventriculum applicantur, ſunt oleum maſtichinum, nardinum, caryophyllorum, menthæ, abſynthii, nuciſtæ, aniſi, fœniculi, macis. Balſamus caryophyllorum, nucis moſchatæ, cinamomi, macis, aniſi. Stomachica, quæ ſupra th. 42. propoſita fuere.

L.

Compoſita externa vel ex his dictis ſimplicibus fiunt, in forma emplaſtri, unguenti, cerati, ſacculi, cataplaſmatis, & ſimili; vel in officinis jamjam parata exiſtunt; cujuſmodi ſunt, Unguentum martiatum magnum, ſtomachicum Rondoletii, Emplaſtrum ſtomachale Meſue &c.

LI.

Simplicia interna ſunt, mentha, pulegium, ſerpillum, flores roſmarini, betonicæ, ſchœnanthi, radices pimpinellæ, acori, galangæ, Gummi maſtiche, aloe, thus, ſtyrax, ſuccinum, Aromata, caryophylli, Zingiber, cinamomum, nux moſchata, Zedoria.

LII.

Compoſitorum internorum nomine veniunt: Electuarium diagalangæ, dianiſi, diacumini, diatrionpipereon, diacinamomi, de aromatibus; Zingiber conditum, calamus aromaticus conditus, conſerva abſynthii, menthæ, enulæ. Tabulæ diacymini, dianiſi, Confectio aniſi tabulata, confectio Zingiberis cocti & ſimilia, ad varias formulas in componendo apta.

LIII.

Simili methodo proceditur, ubi malum ab humore melancholico ortum fuerit, niſi quod loco ſiccantium humectantia, loco φλεγμαγωγῶν, μελαναγωγὰ reponantur. Paucis methodum delineabimus.

LIV.

In diæta I. Aër ſit in activis qualitatibus temperatus, aut parum ad caliditatem vergens, in paſſivis humidus, ſi talis natura non detur, arte concilietur.

LV.

II. Cibus in uſu quotidiano ſit, qui facilis concoctionis & boni

ſucci,

ſucci, qui incidendi detergendique vim habet; non craſſus ac terreus, non adſtringens. In affectionibus enim ex humoribus vitiatis circa ventrem & ſtomachum, maximum detrimentum provenit ex adſtringentium eduliorum, potuum & Pharmacorum uſu, *Galeno teſte l. de comp. med κ. τοπ.* 8.

LVI.

III. Potus ſit vinum generoſum, ſalviatum, abſynthites, ænulatum, juniperinum aut ſimile, quod & humoris acorem corrigendi, & ventriculum roborandi vires habeat.

LVII.

IV. Reliquarum rerum non naturalium uſus, qualis theſi quadrageſima præſcribitur, eſto.

LVIII.

Ex Pharmacia humorem præparabunt ſimplicia & compoſita;

LIX.

Simplicia ſunt: fumaria, bugloſſum, borrago, cuſcuta, ſcolopendrium, chamædrys, chamæpythis, lupulus, ſuccus pomorum, cetrach, tamariſcus, cappares, epithymum.

LX.

Ex his, præter compoſita officinalia v. g. Syrupum de ſcolopendrio, de bugloſſa, de pomis, de epithymo, de fumaria; varia medicamenta ad Medici intentionem & ægri palatum confici ac concinnari ab artis gnaris poterunt.

LXI.

Præparatum evacuabunt: Myrobalani Indæ, Polypodium, ſena, epithymum, lapis armenus, lapis Lazuli, Helleborus, & ex his parata officinalia & Magiſtralia: v. g. Syrupus de polypodio, de elleboro, oxymel Elleboratum, oxymel compoſitum Geſneri. Decoctum epithymi, decoctum ſenæ Gereonis. Extractum Ellebori nigri, extractum polypodii, extractum ſenæ Quercetani. Pilulæ de fumaria, Indæ, de lapide lazuli, de lapide armeno, ſine quibus, de elaterio Nicolai & ſimilia.

LXII.

Ad ventriculi roborationem præter ea quæ ſuperius theſibus 49. 50. 51. & 52. propoſita fuere, aſſumere poterimus ſyrupum de cinamomo, de mentha, de cortic. citri, rob juniperinum ſ. & c. Species aromaticas roſatas, diacinamomi, diaxyloaloes, roſatæ novellæ, diamoſchi, Trochiſcos de roſis, de Gallia moſchata & cætera.

LXIII.

Eſſet nunc etiam aliquid dicendum de famis ablatione, quæ fit ob alimenti defectum: Verum cum proprie nomen appetentiæ caninæ & ejus definitionem non mereatur, ſed fames ſaltem aliqua magna ſit ſine vomitu aut Diarrhoea, ideoque de illa amplius agere deſino, finemque Theſibus impono.

Tibi, ſanctiſſima Trias, cujus nutu & ductu hæc incipere, tractare & abſolvere licuit, ſit laus, honor, & gloria nunc & in ſecula.

COROLLARIA EX QUINQUE MEDICINÆ PARTIBUS.

I.

ex Φυσιολογικῆ

Medicina omnium artium eſt præſtantiſſima & nobiliſſima.

II.

Ad ſanguinis vitalis generationem non ſolum per ſeptum cordis tranſverſum, ſed & per venam arterioſam ſanguis in ſiniſtrum cordis ventriculum derivatur.

III.

Sedes appetitus animalis eſt orificium ventriculi ſuperius.

IV.

ex Παθολογία

Bulimus & canina appetentia affectus ſunt diverſi.

V.

Malacia item & pica, contra Fernelium.

VI.

Cauſa continens differt ab Antecedente, differt item à conjuncta.

VII.

ex σημειωτικῆ

Omnium morborum cauſæ ex urinis prænoſci nequeunt.

Ob-

VIII.

Vrina tenuis non eſt ſemper obſtructionis ſignum.

IX.

Omnes pulſuum differentiæ dignoſci vix poterunt.

X.

ex ὑγιεινῇ

Verus eſt Aphoriſmus 50. ſ. 2. Hipp. Conſueta longo tempore, etſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent.

XI.

Aër in corpus noſtrum agendi magnam vim habet.

XII.

Vinum calidum eſt & ſiccandi vim habet.

XIII.

ex θεραπευτικῇ

Curæ magicæ & magneticæ nonnunquam à Medico uſurpandæ.

XIV.

A poto pharmaco decoctum piſorum ut abſtergens non convenit.

XV.

Datur medicamentum, quod citra venæ ſectionem ſanguinem κατὰ τρόπον καὶ τόπον educit.

Præſtantiſſimo

DOMINO CANDIDATO

ΕΥ ΔΙΑΓΕΙΝ.

ACriter ut miles truculentis pugnat in armis,
Et tandem Victor præmia digna refert:
Intrepidè ſic tu luctaris in arce Minervæ,
Acquiſiturus læta trophæa brevi.

Nec dubito, quin ſis voti cum laude futurus
Compos. Fortis enim, ſat ſcio, Victor eris.
Divinum ſolùm Numen reverenter adoro,
In vita ut maneas ſaluus & incolumis:
Ex animi voto quò ad tecta paterna reverſus
Munera percipias digna labore tuo.

Melchior Sebizius D.
h. t. Vniverſit. Rector.

COmprecor, Doctiſsime Candidate,
Vt velit porrò Tua cœpta ſancto
Numinis flatu benè temperare
Jova benignus.
Quod Scholæ crebra Tibi lectione
Dictitaverunt, cadat in ſalutem
Corporis morbo graviore preſsi, ut
Vota requirunt.
Convaleſcentes medica refectos
Arte ſe multùm videant, ſequatur
Fœnus optatum, ſua ſubſequatur
Fama labores.

Joann. Albert. Sebiz. D.

HActenus immenſos non læta fronte labores
Artis Apollineæ ferre paratus eras.
Ad venerandorum ſummam nunc ritê cathedram
publica Doctorum te documenta locant.

Weiſſen-

Weiſſenburga tuum vexit ſuper æthera Patrem
clara, nec in tenebris fama ſepulta fuit.
Non plebis tantùm potuit captare favorem,
cura at Principibus delitiumque fuit.
Exurge, illius veſtigia grata ſecutus,
vivat ut in factis Patris imago tuis.
Sanguine de veſtro ſic multâ laude celebres
tot Medicos in Te vivere nemo negat.

Sigiſm. Cloſius, Vratisl.

HAbet omnis hocce Virtus,
Honoribus merentes
Exornat, ob labores
Quos pertulêre fortes.
Sic Marte qui ſecundo,
Heroicoque niſu,
Pugnavit acer armis,
Is hoſte pòſt ſubacto,
Victoriâ triumphat:
Sic impiger Colonus
Poſt tot ſuos labores
Recreatur, horreumque
Et copioſiore,
Et elegantiore,
Replet phalange frugum:
Sic Vinitor peractis
Laboribus, racemis

Jam

Jam turgidis, & uvis
Fruitur, quibus priores
Moleſtias reſarcit:
Sic fortis inquietum
Athleta poſt laborem,
Exercitatione
Palæſtrica peracta,
Palæſtricum Brabeion
Reportat, & Coronam.
Perite CANDIDATE,
Amice ſingularis,
Et Te tui labores
Quos hactenus tuliſti
Non ſegniter, juvabunt.
Tibi MUSA deſtinavit
Dignos tuis honores
Meritis; frequentiori
HONORIS ut Sacellum
Mox Jubilo ſubintres,
Et eminentiori
Locatus in cathedra,
Renunciêre DOCTOR.

Johannes Ludovicus Witzel/
Mœno-Francoſurtanus, Med. St.

FINIS.